BENEDICTO. WILHELM

VIRO. CLARISSIMO. SUMME. REVERENDO

SCHOLAE. ROSLEBIANAE. RECTORI

PROFESSORI. REGIO. PHILOSOPHIAE. DOCTORI

AQVILAE. RVBRAE. EQVITI

SOCIETATIS. THVR. ARCHAEOL. SODALI

COLLEGAE. AMICISSIMO

DIEM. IN. MEMORIAM. MVNERIS. SCHOLASTICI

PER. ANNOS. L. GLORIOSE. ADMINISTRATI

FELICITER. CELEBRANDVM

SINCERO. ET. PIO. ANIMO. GRATVLANTVR

SCHOLAE. ROSLEBIANAE. ADMINISTRATOR

ET. PRAECEPTORES

INTERPRETE. CHR. LEIDENROTH.

A. D. XVI. KAL. IVN. CIƆIƆCCCXXXVI.

Inest lexici latini etymologici specimen.

LIPSIAE

SVMPTIBVS CAROL. HENR. RECLAM.

1836.

Lexica Latina, quamquam ad verborum vim illustrandam scriptorum veterum locis optime instructa et locupletata, in perscrutandis tamen vocabulorum originibus et demonstrandis, vix est credibile, quam sint manca, incerta et saepenumero absurda. Quapropter prorsus falsae vocabulis nonnullis potestates attribuuntur, et aliarum vocum significationes, licet recte e veterum scriptis erutae ac definitae sint, tamen principiis semel male positis, praepostere exstruuntur et perverse inter se conjunguntur. Omnino autem, nisi verborum origine et natura satis perspecta, quin notiones animo conceptae confundantur et obscurentur, non posse fieri, quis est, qui non fateatur?

Quodsi verbum suppeditare a pede profectum opinaris et vertis *unter den Fuss geben*, falsam videris hausisse notionem, quae insidebit in animo, et quotiescunque hoc verbum leges, obversabitur et omnibus aliis significationibus, quas eidem verbo recte tribues, sese admiscebit, nam eas numquam a pedis notione habebis liberatas. Contra ea notionem claram et distinctam tenebis, si e recto fonte recte derivabis. Est enim hoc cum verbis affinibus suppeto et peto ducendum a *πετῶ*, *πετ|άννυμι*, quibus propinqua sunt: פָּתָה Patha et פָּשָׂה Pasa, Sanscr. pad, nostra *bieten*, *beten*, *bitten*. Horum verborum omnium propria vis est *recken*, *reichen*, *ausstrecken*. Peto est manum porrigere ad rem comprehendendam, *nach etwas recken*, *greifen*, *streben*; petere ab aliquo, manum extendere ad

aliquid ab aliquo accipiendum. *Bieten*, manum extendere ad imperandum, offerendum aliquid et addicendum, *bitten, beten*, ad rogandum. Ita rogare est proprie *recken*, adrogare *an sich heran recken, sich aneignen*; ejusdemque stirpis sunt: *recken, reichen*, regere, ὀρέγεσθαι, רָגַע. Quare suppeditare optime vertitur *reichen, hinreichen*. Ita vi transitiva: domus mihi suppeditat hortorum amoenitatem. Cic. *reicht mir hin, gewährt mir*, praebet mihi.

Torquato si vita suppeditavisset, consul factus esset, *wenn das Leben hingereicht hätte*. Hic quidem vi intransitiva, quam semper fere habet suppeto: quibuscunque vires suppetebant ad arma ferenda, *bei denen die Kräfte noch hinreichten*. Quid, quaeso, his verbis cum pede est commune? Pariter cave, credas, expedire, impedire, impedimenta et compedes a pede esse nata. Minime! sed a verbo πεδῶ, *ich binde*, sunt arcessenda. Impedire est *einbinden, hemmen, hindern durch Binden*, numquam simpliciter est impedire *den Fuss verwickeln*, quod dicere si voles, addendum erit p e d e m. Impedimenta sunt *Bündel, Gepäck*, sarcinae, quae vox cum impedimentis saepenumero commutatur. Expedire est *losbinden, freimachen*. Compedes sunt vincula praecipue pedum, qui plerumque vinciuntur, deinde vincula universe manuum et crurum; item *Fessel* non est a *Fuss*, sed a *fassen*, d. h. *binden*. Vides, si immiscere pedis notionem velles, quam ridicule multa a veteribus dicta essent, velut: aliquem amplexu impedire, *einen umfussen*, caput myrto impedire et alia ejusmodi.

Hoc vocum origines indagandi studium perutile quidem et necessarium ne terminis nimis angustis circumscribatur, ante omnia cavendum videtur; alioquin in ridiculos errores, necesse est, incidamus.

Ita, ut uno utar exemplo, nemo sibi persuadebit, copulare junctum esse et constare e c o n et i p u l a r e, quod pro a p u l a r e

deminutivum sit verbi apere, ut vult Doederlinius, cum cognoverit כָּפַל Kaphal et כבל Kabal esse ligavit, complicuit et חָבַל Chabal ligavit, imo censebit, copulare et *koppeln* ex Hebraeo esse repetenda. Neque quisquam Ramshornio, qui revera linguam Latinam e Germanica ortam putat, adjectivum navus cum Germanico *genau* comparanti fidem habebit, propterea quod Hebraei habent נוּף Nuph, Part. Naph, huc illuc agitavit, cui vicinum נוּעַ Nuah eandem vim habet; ex quo apparet, navum sive gnavum esse *regsam*, *rührig*, *beweglich*; ignavum *unregsam*, *träg*, *einer der sich nicht gern regt*.

Deinde autem, si plures in comparationem adhibentur linguae, quod nunc pervenit in morem, periculum est, dum linguas parum excultas, nobis incognitas et a Latina alienissimas consulimus et vere cognatas negligimus, ne verba diversissima in unum congeramus, ita ut linguarum confusio nova, Babyloniae haud dissimilis, exoriatur. Mihi quidem hujuscemodi libellum legenti illud discipuli apud poetam dicti in mentem venit:

Es wird mir bei alle dem so dumm,
Als ging' mir ein Mühlrad im Kopfe herum.

Num expedit, Fennos, Lettos, priscos Borussos, Russos, vel Samojedas consulere, ut vocis alicujus Latinae origo ac vis in lucem proferatur? Ipsa lingua Sanscrita, quae nunc oraculi quodammodo instar est, dubito, num sit idonea ad lucem Graecae et Latinae afferendam, quippe quae recentioribus et maxime Slavicis linguis simillima, radices saepe exhibeat compressas, mutilatas et depravatas; veluti ma = met iri, Hebr. מָדַד Madad, et per multas alias linguas cum d, t, vel s; bhi = *beb|en*, *φέβ|ομαι*; li = liq|uere; ju = jun|go; ru = *ruf|en*, רוּעַ Rhuah; pu = pur|us, baar, בַּר Bar; gai = can|o, קוּן kun.

Ex radicibus ejusmodi, quibus una tantum consonans est, omnia

possunt elici, quae ab eadem consonante incipiunt; veluti a li: luo, lavo, labor, lac, laudo, linquo etc., terminis enim carent. Praeterea unquam linguae Sanscritae naturam cum veterum Indorum indole et moribus ita cognitam et perspectam nobis fore diffido, ut populorum, quos cum Indis commercium habuisse, non doceat historia, linguas àd eam tamquam ad unicam normam dirigere sit consentaneum. At has quatuor linguas, Hebraeam, quae prae reliquis radices plenas et integras habeat, Graecam, Latinam et Germanicam, utpote vere inter se cognatas, satis excultas, bene nobis notas et pernecessarias inter se etiam atque etiam esse conferendas et tum demum, ubi his comparatis, aliquid ambigui et obscuri remanserit, ad alias remotiores esse confugiendum, omnes, qui in hoc studio non plane sunt peregrini, facile mecum fatebuntur.

Cognatas autem esse quatuor, quas dixi, linguas et praecipue Hebraeam cum Graeca, programmate sex annos abhinc edito ostendere jam studui; quare, quae ibi dixi, hic repetere nolo; praesertim, cum Gesenius, qui omnino linguam Hebraeam e tenebris in lucem vocasse dicendus est, post illud tempus comparandis his linguis cum Hebraea, rem ita se habere, satis videatur demonstrasse. Id solum mihi nunc propositum est ostendere, linguam Latinam cum Hebraea non solum per Graecam mediam, sed proxime et per se cognatam esse et multarum Latinarum vocum origines recta et prorsus ex Hebraeȧ esse arcessendas; quod argumentis cum ex historia, tum ex utraque lingua petitis facile poterit probari.

Ac primum quidem Pelasgi, qui duce Cadmo, secundum Joannem Muellerum circa Josuae tempora in Graeciam pervenerunt, et quos in Sicilia quoque et Italia consedisse constat, sine dubio erant Philistaei, cum utrumque nomen idem valeat; etenim Pelasgos Graeci volunt esse errantes, vagantes a πλάζ|εσθαι, Philistaei pariter a פָּלַשׁ Palasch sunt vagantes, peregrinantes. Quid, quod Aborigines,

quibuscum Pelasgi in unum populum coaluisse dicuntur, nulli alii videntur fuisse, nisi Pelasgi? Namque הַבֹּרְחִים Habborchim sunt fugientes, fugitivi. Certe Dionys. Halic. Antiq. Rom. I, X. Aborigines a nonnullis *Ἀβεῤῥιγῖνας, πλανῆτας* vocari perhibet. Vox postea, cum vera origo lateret, ad similitudinem latinae ejusque notioris est depravata.

Etenim, cum incolae paullatim linguam vetustam dediscerent, accidit saepe, ut similis vel pronuntiationis vel significationis verba commiscerentur, atque aliquid, unde vel locorum vel rerum nomina repeterent, excogitaretur; quare antiquissimorum temporum notitiam necesse fuit valde perturbari.

Ita Saturnia et Latium ejusdem sententiae nomen videtur. סָתַר Sathar enim est occultavit, סָתוּר Sathur occultum, לוּט Lut item occultavit, unde *λαθεῖν* et latere, לָט Lat occultum. At Saturnia nomen habet a Saturno, rege antiquissimo; Saturnus vero est a שֹׁטֵר, Part. שֹׁטֵר Schoter, i. e. dux, magister, rector. Vides igitur, verba Sathar occultavit et Schatar direxit perperam esse commutata. Eodem modo narratio de virgine Tarpeja orta est, unde rupem Tarpejam nomen traxisse fabulantur. Tarpeja autem nihil est aliud, nisi *Felsenecke*, nam טוּר Tur est rupes, mons, פֵּאָה Peah latus, angulus. Capitolium ut, unde appellatum esset, demonstrarent, commenti sunt fabulam de capite Toli cujusdam, cum fundamenta jaciebantur, reperto; quamquam Capitolium ducendum est a capite et significat *die hervorragende, emporsteigende Höhe.* גְּבָהוּת Gebahuth, unde caput, altitudo est, et עָלָה excelsa. Romam ipsam non a *Ῥώμη*, sed ut רוּמָה Rhuma, quae urbs erat Palaestinae, proprie excelsa, a verbo רוּם Rhum altus fuit, ut quae in collibus sita esset, esse appellatam, haud absurdum erit arbitrari.

Pariter se res habet apud Graecos. Minotaurus non est bos monstrosus Minois, sed castellum illius regis. תּוֹר Thor quidem est

bos, unde *ταῖρος*, taurus, *Stier*; תּוֹר Tur autem est mons, rupes, castellum, unde *τύῤῥις*, turris, *Thurm*, Towr Angl. Jason non rapuit Aeetis vellus aureum, sed thesaurum aureum. גִּזָּה Gissa enim est vellus, at כִּיס Kis, cui vicinum gaza, *Kasse*, significat crumenam, thesaurum. Bosporus non est transitus, via boum, sed navium; אֶלֶף Aeleph, stat. constr. Alph et Chald. Alluph est bos, vox Graecis non incognita, אִלַּף Illaph autem Chald. et Elpho Syr. est navis. Jupiter eripuit Europam sub bovis figura, fortasse nihil aliud est, nisi: Europa *das Abendland*, עֶרֶב Aereb, Phoenicibus erepta est ab hostium classe, Jove ita volente. At vero, ex hoc fonte multas veterum fabulas fluxisse, nemo mirabitur, quoniam hominum cura in inveniendis nominum causis adhuc sit admodum sedula et ingeniosa; nam qua de re Sinus Arabicus mare rubrum appellatus esset, omnes, qui in has regiones itinera fecerunt, alius aliud, excogitaverunt, alius aliud, velut scopulos rubri coloris, partes maris miro rubore fulgentes, sibi visi sunt animadvertere. Cave tamen, in illo mari quidquam rubri praeter nomen esse credas; nam olim vocitabant mare Edom propter gentem Idumaeam (Edom) accolentem, et quia Edom significat ruber ab אָדָם Adam rufus fuit, ignorantes postea veram appellationis causam mare rubrum appellarunt; ut Euxinum (pontum) Graeci ex Aschkenas, nomine gentis illud mare accolentis, formarunt et *Ἄξενον* i. e. inhospitalem interpretandum esse duxerunt. Sed, unde digressus sum, redeo.

Post primos, ut dixi, advenas Pelasgos, posteriorum temporum Phoenices in Italiam perpetuo navigasse ibique colonias collocasse, valde probabile est; nequaquam enim fieri potuit, quin nautae et mercatores remotissimas terras adeuntes terram propinquam et oculis prope subjectam cursu fere quotidiano attingerent. Deinde sententiae meae hoc certum argumentum videtur, quod Italicorum populorum et locorum appellationes ex lingua Hebraea commode licet

interpretari, sicut Sicklerus et alii fecerunt. Si denique multis Italiae et Palaestinae oppidis eadem nomina esse demonstrabitur, neminem fore spero, qui sententiae meae, Phoenices in Italia consedisse et cum hujus terrae incolis linguam, mores et instituta communicasse, non libenter suffragetur.

Sunt vero Italiae et Palaestinae oppida mirum in modum sibi congruentia et consona, quorum pauca hic mihi liceat comparare.

אָבֵל Abel multis locorum nominibus praemittitur = Abella et Abellinum oppida sunt Campaniae, Avellinum etiam in Hirpinis. Ceterum puto אָבֵל non pascuum esse, sed vallem *Niederung;* Graeci habent ἀφελής *niedrig;* radix autem est בַל, cujus vis primaria est *fallen*, inde vallis et vilis *niedrig*. Conf. Gesen. ad verb. אָבַל.

אַשְׁקְלוֹן Aschkᵉlon, maritima urbs Philistaeorum = Asculum Picenum; Asculum Apulum, bello Tarentino nobilitatum.

בֶּצֶר Baezer, vulgo Bosor, oppidum in tribu Ruben et בָּצְרָה Bozra, urbs Idumaeorum, proprie locus munitus, munimentum, ut apud nos *Burg*, *Augsburg*, *Regensburg*. Idem significat בִּצָּרוֹן Bizzaron = Pisaurum, Umbriae oppidum, hodie Pesaro.

גֶּבַע Gaebah, proprie collis, in Palaestina, etiam Gibea et Gibeon = Gabii, locus munitus in Latio, conditus sine dubio in colle; fortasse Capua quoque huc referenda.

חלון Cholon = Caulon.

גִּלְגָל Gilgal, Γάλγαλα = Calliculae.

חָצֵר Chazer, septum = Acerrae.

טַבּוּר Tabbur, locus editus = Tibur, quod in monte erat situm.

כְּסָלוֹן Kesalon = Casilinum.

אֲרָב Arab, cum Suffixis Arb, incola urbis Arbi = Arpi, Arpinum.

אֲרוּמָה Aruma = Ariminum.

בֵּית־אָוֶן Beth-aven = Petavium. Beth est domus et saepe cum aliis nominibus copulatur, sicut apud nos *Nordhausen*, *Sangerhausen* etc. quam ob rem haud scio an בֵּית־אֵצֶל Beth-Aezel conferendum sit cum Acelo in agro Veneto.

תְּאֵנָה Theena = Teanum.

קָנָה Kana = Cannae.

מַרְעֲלָה Marala = Merulum.

רָכָל Rachal = Regillum.

רַקּוֹן Raccon = Ricina.

רַבָּה Rabba = Ravenna.

נְבוֹ Nebo = Nepe sive Nepet.

Quis porro dubitabit, quin אַרְנוֹן Arnon, Palaestinae et Arnus, Italiae fluvius, unum idemque sit nomen, et quin Nar Italiae fluvius ab Appellativo נָהָר Nahar, fluvius, sit vocatus; Eridanus denique non multum discrepat a Jordano.

In הַפִּנִּים Happinnim *Bergspitzen* reperimus Apenninum montem; a שְׁפֵלָה *Σέφηλα*, planitie a Joppe ad Gazam, nomen videntur habere Sabelli; Sabini, si vim nominis spectas, iidem sunt, nam שָׁוָה Schava significat planus fuit, et שָׁוֵה Schave vallis et planities apud Hierosolyma erat.

Sed haec sufficiant, quoniam, quae volui, satis mihi videor probasse.

Hoc tamen silentio praetermittere nequeo, quo factum sit, ut Digamma Aeolicum plane e lingua Graeca evanesceret. Hoc Digamma, quod antiqui *Βαῦ* vocabant, erat Hebr. ו Vav, Lat. F; Vav ו autem in lingua Hebr. modo consonans est, modo fulcrum et signum vocalis, et cum pro signo vocalis est, saepissime omittitur, quia nequit pronuntiari. Item in prisca Graecorum lingua, ut Homeri carmina indicant, Digamma sive *Βαῦ* consonans plerumque erat;

postea tamen plane neglexerunt scribere, propterea quod vel pro fulcro vocalis magis in usu erat, ideoque omnino non poterat pronuntiari, vel quod, etiamsi consonantis vice fungebatur, utpote leni spiritui, nostro W similius, quam consonanti, pronuntiando parum exprimebatur. Ita עָוַר Avar obscurus fuit, Graece antiquitus erat *αὐήρ*, postea *ἀήρ*, *ἀέριος dunkel.*

Quia vero in Hebraea et cognatis linguis saepissime י I et ו V inter se commutantur, accidit, ut vocabula nonnulla Graeca I habeant, pro quo Latini V et F substituunt. Ita *αἰὼν* et *ἀεὶ* formatum est ab הָיָה Haja fuit, Latinum autem aevum ab הֲוָה Hava Chald. fuit. Similiter *εἴδω*, *ἴδω* est a יָדַע Jadah, Syr. Jidah; at Latinum Video a וַדַע Vadah, sicut Arabes pronuntiant. Non igitur opus est, ut Digamma Aeolicum in Graecis vocabulis interisse et in Latinis rursus emersisse arbitremur.

Neque vero minus viri docti errant, qui e digamma Aeolico spiritus linguae Graecae exstitisse censent. Imo hac etiam in re lingua Graeca Hebraeae simillima est, nunquam enim in hac nuda vocalis syllabam incipit, sed vel consonans durior, vel spiritui similior, sive gutturalis. Spiritus lenis igitur ortus est e gutturalibus lenioribus א et ה; spiritus asper ex ח Ch asperiore; ex ע autem, medio inter gutturales, spiritus lenis et asper promiscue est factus.

His praemissis, ad nonnullarum vocum origines et nativas significationes depromendas et explicandas transeo. Locos et dicta, quibus ad sententiam meam illustrandam et probandam utar, e lexicis notissimis Forcellini et Schelleri cum sumserim, supervacaneum duxi nominare.

A e g e r.

Totam paginam complerem, necesse esset, si omnes de hujus vocis origine opiniones vellem enumerare, quae maximam partem videntur perquam insulsae. Radix vocis Ger profecta est e Chald.

כְּרָא Kera doluit, tristis fuit, ex quo, transposita gutturali א, fit Aker. Mihi tamen fit verisimile, vocem Latinam ex conjugatione Chald. Aphel Akri, quae A praemittit, esse formatam. Verum ne dubites, quin e diversis ejusdem Hebr. radicis formis, diversa etiam Graeca et Latina vocabula exoriantur, unum afferam exemplum. יָדַע Jadah scivit est Graece εἴδω, ἴδω; ex imperativo et inde formatis nominibus, ut דֵּעַ Deah (cognitio), fit δαίω *ich lerne*; ex מַדַּע Maddah (scientia) fit μάθ|εσις, μαθ|εῖν; ex מַנְדַּע Mandah (cognitio) denique μανθάνειν. Vides ergo, εἴδειν, μανθάνειν, μαθεῖν, δαίειν ejusdem stirpis esse et omnia provenire ex יָדַע.

In Graeco ἀκραγής deprehendis eandem radicem Chald. Kera, κραγ, unde nostrum *krank* videtur esse profectum.

Ager, peragrare.

Ager radix antiquissima et per multas linguas propagata. אִכָּר Ikkar Hebr. agricola, item Chald. et Syr. ab אָכַר Achar fodit, cui verbo vicina sunt כָּרָה Kara, כּוּר Kur, γράφειν, *graben* et alia. Ex his apparet, agrum esse terram, quae fodiatur vel aratro findatur. Peragrare autem non est, ut volunt, per agrum ire, sed perfodere, perrumpere, secare. Auras, undas peragrare, *die Lüfte, die Wellen durchschneiden.* In hac secandi et perrumpendi notione sola est subsistendum et agri omnino obliviscendum; sin autem voles dicere *über den Acker, durch den Acker gehen,* dicendum erit peragrare agrum, numquam enim simpliciter peragrare est per agros ire.

Peregre, peregrinus, peregrinari.

Omnes fere ducunt ab agro et a per *durch*, atque interpretantur *über Feld gehen*; falsa et inepta notatio, quae ne tenuissimis quidem argumentis potest probari. Per agrum ire non est, quod

nos dicimus *über Feld gehen*, neque vero *über Feld gehen* idem valet, quod peregrinari; namque peregrinus est, qui procul domo vivit et commoratur, *einer, der fern von der Heimath, in der Fremde lebt*, quem Graeci vocant *ἀπόδημον*; quae quidem vocabuli potestas manifeste prodit ex Hebraeo.

Peregre enim non junctum est ex per *durch* et egre, sed ex per sive pere et gre. בַּר et בָּרָא Par, Para Chald. est extra, unde Barbar|us, for|is, por|ro, Angl. far, nostrum *fern* manasse, certum est. Pere igitur in peregre significat *fern*; gre autem est a גּוּר Gur habitavit, commoratus est, גֵּר Ger, qui commoratur. Peregre ergo *fern von Hause, fern von dem Orte, wo man sich gewöhnlich aufhält; ἀπόδημος.* Animus est peregre, *die Seele ist nicht bei sich, nicht zu Hause*; peregre abire *fern von Hause weggehen*; peregre redire *fern von Hause zurückkehren*. Peregrinari *fern von der Heimath sein, in der Fremde sich aufhalten.* Aures peregrinantur *die Ohren sind nicht zu Hause, nicht heim, sind abwesend.* Nihil profecto his vocibus commune est cum agro; imo apud illas gentes ortae videntur, quibus agri omnino non erant, scilicet apud pastorum gentes. גּוּר enim est non solum habitare, sed etiam peregrinari, quia gentes vitam pastoralem agentes, dum peregrinantur, habitant, et dum habitant, peregrinantur. Quare propria verbi Hebraei vis videtur *ziehen, umherziehen*, quod quidem e verbis cognatis conjicitur גָּרַר et גָּרַע Garar et Garah traxit. Patet etiam, quemadmodum *μέγαρον* possit esse domicilium et ejusdem radicis verbum migrare *herumziehen, wandern*, nam utrumque arcessendum a מָגוּר Magur, quae vox a גּוּר et habitationem et migrationem declarat.

Pere autem, quod extra significare vidimus, recognoscimus in *περί* et in Per juncto cum adjectivis, velut in permagnus, perfacilis etc. *Περὶ πάντων ἔστ' ἀνθρώπων er ist über alle Menschen hinaus, weiter als alle.* Idem valet *πέρα* et *πέραν drüber hinaus*; ac

quia extrema cujusque rei fines sunt, consequitur, ut *πέρατα* fines declaret; quia denique fines ambiunt aliquid, *περί* est etiam *um, herum.* Permagnus autem erit *überaus, äusserst gross,* perfacilis *äusserst leicht;* perquam pauci *äusserst wenige, es ist ausserordentlich, wie wenige.*

Ago, exiguus, cogito, ambigo, indago.

Ago a נָהַג Nahag, nam נ N in initio verborum non est radicis et in vocibus inde ductis plerumque intercidit, velut נָפַל Na|phal, *fallen,* נָחַם Na|ham, to hum Angl., Graece *ὁμ|αδεῖν,* הָמָה Hama et alia. Vide Gesenium ad literam נ, N. Quare a נָהַג Nahag fit Hag, *Ἄγ|ω,* plena tamen exstat radix in verbo *ἐνείκω,* quod hac de causa non verbo *φέρειν,* sed verbo *ἄγειν* est accensendum.

Exiguus recte quidem ducitur a verbo agere, qua ratione autem hoc fieri possit, et quae propria vocis sit potestas, ignoratur. Quia exigere sit *herausbringen,* exiguum volunt esse, quod facile possit exigi, ejici, *was leicht herausgebracht werden kann.* Hoc quis credat?

Exigere, ut verbum Graec. *ἄγειν*, nostrum *ahon, ahgon, ahton, achten,* et cum spiritu *wägen, wiegen,* habet saepe vim ponderandi *aufziehen;* velut: margaritarum pondus sua manu exigere *mit der Hand abwägen.* Idem valet examinare, examen pro exagimen. Britanni utuntur annulis ferreis ad certum pondus examinatis, *welche abgewogen sind nach einem bestimmten Gewichte.*

Exactus est *genau abgewogen, genau berechnet, genau, sorgfältig,* ut exacta diligentia. Exiguum est idem, sed in malam partem, *genau, knapp, abgemessen, nothdürftig,* ita ut nihil redundet, et oppositum videtur adjectivis largus, cumulatus, abundans. Similiter nos voce *genau* utimur et in bonam partem pro exacto et in malam partem pro exiguo. Epistola exigue scripta, *in welchem*

nur das Nothdürftigste steht, nichts drüber. Frumentum se exigue dierum triginta habere, *er habe knapp, nothdürftig auf 30 Tage Getreide.* Amicitiam nimis exiliter et exigue ad calculos revocare, *die Freundschaft zu genau und kleinlich berechnen.* Ex hac vero significatione reliquas manare *klein, gering, wenig*, facile intelligitur.

Alia nonnulla similis potestatis verba leviter hic perstringam. Sicut ab ἄγειν *aufziehen, wägen*, est ἄξιον, *das, was eine andere Sache aufzieht, gleiches Gewicht, gleichen Werth mit ihr hat*, ita e verbo d u c e r e dignum videtur formatum, ut lignum a lucendo, regnum a regendo, et signum, *Schnitt, Zeichen*, a secando. Ducere enim, cum vim aestimandi habet, ut magni, parvi ducere, non simpliciter est *ziehen*, sed *aufziehen, mit der Wage aufziehen*, sicut nostrum *für Etwas halten* non est simpliciter *halten*, manibus tenere, sed rem pro re, sive contra rem tenere, et hanc rem illi pondere et pretio parem judicare, *für Etwas hinhalten und an Werthe gleichschätzen.* Manibus enim primum pondus rerum examinabant, sicut etiamnum facere solent, quibus non ad manum est trutina. Dignum ergo est, quod aliam rem ducit, *aufzieht*, pondere vel pretio aequat, *was so viel gilt, so viel werth ist, als eine andere Sache.* Ἀτάλαντος *vergleichbar, gleich* est a תָּלָה Tala suspendit, *aufhängen, wägen*, unde etiam talentum, tollere et alia; neque absurdum erit *Werth, würdig, Währung, Währgeld* ab αἴρειν arcessere, et *gewachsen* depravatum esse credere pro *gewagsam*, ἀτάλαντος.

Cogitare ex c o n et a g i t a r e, non tamen, quae nonnullorum sententia est, quia notiones in mentem agitentur, tamquam in stabulum pecudes; sed cogitare, ut conjicere, colligere, *συμβάλλειν, συνιέναι*, proprie significat *zusammenlegen, zusammenstellen, vergleichen*, comparare et ex comparatione judicium formare. Item nostrum *überlegen* est tamquam in altera librae lance ponere et

ponderare, vel super aliam rem, cujus mensuram novimus, sive super mensuram ipsam ponere.

Nimirum e ponderando, metiendo et comparando vim judicandi, quae inest in animis nostris, primum videntur homines animadvertisse; quam ob rem hanc animi functionem iisdem verbis signarunt; ut ratio *Rechnung*, *Urtheilskraft;* mens et mensus est; perpendere, Gall. penser, *erwägen,* quod longius hic persequi non mihi est propositum.

Ambages, ambiguus, ambigo.

Ducunt plerique ab agendo et amb; sed tamen in hoc parum sibi constant, quod amb in ambage volunt esse ἀμφί um, et ambages vertunt *Umwege,* contra in ambiguo et ambigendo amb esse ἄμφω et ambigere animum in duas partes agere; quam ob rem haec tria ejusdem originis verba valde inter se discrepare videntur. At am in his tribus est ἀμφ *um, umb;* φ aufertur, ut in anfractus, anceps; bag autem est radix notissima, apud nos *beug|en, bieg|en,* πῆχ|υς *Bogen,* παγ|ίς, פַּח Pach *Schlinge,* quia flectitur in circulum, בּוּךְ Buch, Part. Bach, et הָפַךְ Haphach, vag|ari, *φυγ|εῖν,* proprie *umbeugen, sich umwenden.* Ambages igitur non sunt *Umwege, Umgebungen,* sed *Umbeugungen, Abbeugungen,* declinationes, ut ita dicam, a recta via; saepe *Windungen, Winkelzüge, Bogengänge.* Remotae Tethyos ambages *Krümmungen, Bogen, Buchten des Meeres;* translate de verbis a vero et recto declinantibus *Winkelzüge, Ausflüchte, Abschweifungen;* saepe de captiosa sermonis perplexitate, de captiosis interrogationibus et aenigmatis. Ita Sphinx dicitur Immemor ambagum vates obscura suarum, ubi propius videtur accedere ad Graec. παγίδα, פַּח *die Schlinge;* quare non debet offendere, quod legitur apud Senecam: Ambage nexa Delphico Deo mos est arcana tegere; imo optime convenit hoc appositum nexa. Item ἀγκύλος ab עָקַל Akal torsit, unde et angulus et *Winkel,*

Wickel, interdum de sermone fallaci et captioso reperitur: *Λόγοι ἀγκύλοι καὶ Λαβυρίνθοις ὅμοιοι; Ζεὺς ἀγκυλομήτης.* Aenigma, cujus radix est Aenig, ducendum ab Hebr. עָנַק Anak et חָנַק strangulavit, flexit. Amfractus similem habet vim meamque de ambage sententiam videtur confirmare, est enim *Umbrechung, Umbeugung.* Proinde ambiguum erit *was sich umbeugt, was sich hin und her beugen lässt, schwankend, unsicher,* opponitur recto stabili, constanti. Fides ambigua *eine schwankende Treue;* ambiguo Marte pugnare *mit schwankendem Glücke fechten;* Proteus ambiguus *der schwankende, veränderliche Proteus,* qui sibi non constat, certam figuram non tenet. Ambigere *schwanken, unsicher sein.* Deviis itineribus ambigens patriam, apud Tac., *ausbeugend, umbeugend.* Neque *ἀμφίβολος* est, ut Schneiderus vult, *von beiden Seiten geworfen,* sed *was hin und her geworfen wird, schwankend,* ut *zweifeln* proprie est *zwei fallen, hin und her fallen, schwanken.*

Indago, indagare.

Non ex indu et ago, quod multi statuunt; nam si ita esset, indagare verti deberet *hineintreiben,* et indago *das Hineintreiben.* Verum substant. indago est, quidquid locum circumdat et includit, sive fossae, sive casses, sive hominum cingentium corona, et junctum est ex in et dago. דַּיֵק Dajek enim, unde dago profectum est, Verb. דוּק, Partic. דָּק Dak est universe *Circumvallationslinie,* vel murus, vel vallum locum aliquem cingens; ejusdem stirpis est *τεῖχος* et *Stacket.* Qui fit autem, ut indagare non sit *umzäunen, einschliessen,* sed *erspähen, aufspüren?* Verbum דוּק est speculari, et hanc potestatem circumspiciendi, investigandi accepit a דַּיֵק Dajek, quod non modo murum cingentem vel vallum significat, sed speculam quoque et turrim, quae in ejusmodi muro et vallo solebat exstrui et speculando inserviebat.

Alucinor.

Dici vix potest, quid de hoc verbo alucinati sint. Sunt enim, quis credat, qui repetant ab allucitis i. e. culicibus; alii, qui ducant ab hallo, crassiore pedis digito.

Patet tamen alucin|ari et ἀλαζον|εύεσθαι unum fere et idem sonare. Ἀλαζονεύεσθαι autem non factum est ex ἀλάομαι *irren*, sed ex Hebr. עָלַז, עָלַס, עָלַץ, Alas et Alaz, quae verba, ut lexica exhibent, non significant exsultare, sed plaudere *klatschen*, maxime manibus plaudere ad laetitiam declarandam. Ita Job. **29. 13.** Ala struthionum נֶעֱלָסָה *der klatschende Flügel;* Ilias 2, **462**. ἀγαλλόμεναι πτερύγεσσιν, alis plaudentes. Ejusdem stirpis verbum לוּץ Luz est pariter quidem manibus plaudere, sed ad alios irridendos, valet ergo idem, quod eludere, explodere. Silva verborum ex hac radice exstitit, sicut alac|er, Elys|ium, lud|ere, laet|ari, quae huc congerere non refert. At λάσκειν, לָשׁוֹן Laschon, γλῶσσα, κλάζειν indicant, ἀλαζον|εύεσθαι et alucinari nihil esse, nisi *klatschen*, *schwatzen*, inanem verborum strepitum facere, verba crepare. Epistolae nostrae debent interdum alucinari *unsere Briefe müssen bisweilen klatschen, schwatzen.*

Amnis.

Non ex ἀμφί et νάω tamquam propter flexuosum cursum; flumina enim majora, quae recto itinere mare petunt, praecipue amnes vocantur. Amnis est ab Hebr. יָם Jam, Plur. Chald. Jamin, quod, litera י I aut ablata aut cum gutturali mutata, ut solet, fit Amin. Verbum, unde hoc substantivum profectum est, de Gesenii sententia significat aestuare, fluctuare; amnis igitur aqua fluctuans, aqua, quae agitatur et movetur. Non secus, atque Hebr. ponunt Latini pro mari, fluminibus, torrentibus et universe pro aqua, ut lexicon Forcell. docet, pro fluxione cujuscunque humoris. Sanscr. Ambhas *Wasser.*

Hoc certum est, ambiendi sive circumfluendi notionem hac voce esse prorsus alienam. Illi quoque videntur errare, qui *ποταμόν* a verbo *πίνειν* dictum existimant, propterea quod aqua fluvialis potissimum potari soleat; sed olim, ut nunc, malebant sine dubio de fontibus et puteis bibere, quam de fluviis. Equidem censeo *ποταμόν* esse a *πέτειν*, *πεσεῖν* labi, fluere, ut Hor. Ep. 1, 2, 42:

Rusticus exspectat, dum defluat amnis; at ille
Labitur et labetur in omne volubilis aevum.

Argutus, argutiae.

Arguere recte ducitur a plerisque ab *ἀργός hell, weiss,* unde *ἄργυρος*, argentum; Chald. חֲוַר Chawar canduit, transposito ח warch, quod congruit cum *ἀργ*|. Arguere igitur est *weiss, hell machen, deutlich machen, ans Licht bringen;* argumentum *Beweis, Erklärung, Deutung, Sinn, sinnvolle Erzählung* etc. Quia vero eadem de sono et luce praedicantur, velut clara lux, clara vox, *helles Licht, helle Stimme,* argutus quoque est *hell, klar, laut,* et tum voci, tum luci apponitur. Argutum nomen, clarum nomen *heller, berühmter Name;* arguta exta *klare, deutliche Eingeweide,* quae, quid futurum sit, manifeste produnt; argutum forum *der laute, helltönende Markt.*

Quia denique vestimenta pellucida sunt admodum subtilia; adjectiva, quae claritatis vim habent, acceperunt etiam notionem subtilitatis. Ita nos dicimus *klares Garn, klare Stimme* pro *feines Garn, feine Stimme,* nostrum *fein* fortasse a *φαεινός;* quare argutus saepe est *fein, klar.* Orator argutus *ein feiner, spitzfündiger Redner;* argutum caput equi *ein feiner, dünner Kopf.* Argutiae *Feinheiten, Spitzfündigkeiten.* Parrhasius primus dedit argutias vultus, *die feinen Züge der Mienen;* propriae videntur argutiae operum custoditae in minimis quoque rebus, *die ihm eigenthümliche*

Feinheit scheint auch in Kleinigkeiten beobachtet. Pariter lepores *Feinheiten* a *λέπος die Schale* nominantur, quia *λέπος* res est tenuissima, qua de causa Homerus vestem tenuissimam cum caepae cute comparat, et שׁוּל lacinia vestis, Schul, Pers. Shawl videtur cognatum cum שָׁלַל *σκυλ|ᾶν*, *schälen.*

Astus, astutia.

Festus, quem plurimi secuti, ab *ἄστυ* repetit; Doederlinius, quod minus etiam placet, ab acuendo. Optime ducitur ab עָשַׁת, quod, addito suffixo fit Ascht, fabricatum, affabre factum, machinatio, cogitatio. עָשַׁת nituit, deinde nitidum reddidit, *glatt machen, fein arbeiten,* denique excogitavit. Artificiose fabricari in linguis antiquis saepius est callide et subtiliter excogitare. Artes quidem, machinationes, et fabricas pro callidis consiliis et inventis reperiri, satis notum est. Astus et dolus (quae vox cum dolare *glatt machen* cognata videtur), et in bonam et in malam partem accipiuntur. *List* antique item est ars, *Listi Künste, Listmeister Kunstmeister,* ducendum fortasse a *leis*, *λεῖος*, laevis, i. e. *glatt, sanft; listin liebkosen, streicheln.*

Atrium.

Haec vox argumento est, eorum, qui sine lingua Hebraea de vocibus Latinis quaerant, studium vagum esse atque irritum; namque hujus vocis originem inventu facillimam ut invenirent, frustra laboraverunt. Atrium est ab אָטַר Athar clausit, sepsit; quare atrium est generatim locus sive pariete, sive porticu, sive septo clausus. Hebraeo verbo אָטַר vicina sunt אָצַר et חָצַר Chazar, ex quo Hebr. formarunt חָצֵר Chazer i. e. Atrium; ita Hebraei vocant externum et internum templi et tabernaculi atrium et quemlibet locum clausum et septum, maxime tamen pagum et oppidum, unde multa

oppidorum nomina propria. Pari modo ex vicino גָּדֵר Gadar multa vocabula in alias linguas manarunt; Gadarum, in Latin. med. Catarata Ital. *Gatter, Gitter;* transposito ג G *χόρτος*, *Garten*, *Gard* in urbium nominibus, *Stuttgard*, *Stargard;* Slav. Gorod, *Nowgorod*, *Grodno*, *Grätz.* Ex eadem circumdandi et sepiendi notione nomen Angl. Town ortum est, Town est *Zaun*, *ζώνη*, צֵן Zen, צִנָּה Zinna sentis et sepes ex spinis contexta, huic vicina vox est גַּן Gan locus sepe munitus, hortus. Ita Castletown, Longtown et alia; idem videtur esse Dunum in lingua Gallorum antiqua, ut Augustodunum Autun. Erat omnino linguis antiquis verborum tenuis vilisque suppellex et appellationes rerum in vita paupere et simplici translatae sunt ad res vitae divitis et excultae magnificentissimas; ita אֹהֶל Ohel, quod exterius tentorii tegumentum erat, sub quo versari solebant, transiit in Aulam regiam, ita Cors *der Hof* in Cour *Königshof;* ita Atrium primum erat locus ante domicilium septus, ut pecus a janua arceretur, deinde in ipsa domo ante conclavia spatium porticibus in divitum domibus circumdatum. Ceterum ex אָטַר vox Aether quoque facta est, id, quod circumdat, claudit, horizonti significatione proximum, namque *ὁρίζειν* est terminare, circumscribere.

Auctor, augustus.

Recte haec vocabula verbo augere adscribuntur, difficile tamen est illarum vocum potestates cum hoc verbo conciliare; nam si augere interpretamur *vermehren*, *vergrössern*, auctor est *ein Vermehrer*, *ein Vergrösserer*, quam vim auctor nusquam habet. Quocirca alii existimarunt, augere esse *wachsen lassen*, *hervorbringen;* at loci, ad hanc verbo interpretationem impingendam laudati, nihil mihi videntur probare; neque vero Augustus ullo modo ad hanc verbi vim poterit aptari. At quadrabunt omnia, si verbi radix et propria vis erit monstrata. Augere radicem habet aug, *αὐγ*| *αὔξειν*,

αὐξάνειν, quae Germ. voci *hoch* respondet. Diphth. au saepius o, quam au videtur a Latinis pronuntiata, quod linguae ex Latina ortae testantur; ausus Italis est osare, Gall. oser; auris nobis *Ohr*, oreille, auricula; aurum, Ital. oro, Gall. or. Non secus dicere Latini solebant plaustrum et plostrum, Claudius et Clodius, ac nos dicimus *Baum* et *Bom*, *glauben* et *globen*.

Quare mihi non dubium est, quin aug et *hoch* ex eadem stirpe sit procreatum, videlicet ex Hebr. גָּאָה Gaha, quod transposita א est Aga extulit, crevit, altus fuit. Augere igitur est *erheben, erhöhen*, rarissime *sich erheben*, *sich erhöhen*. Ita Cicero: Te tollendum atque augendum putavi. Suet.: In semet augendo parcus atque civilis erat *sich zu erhöhen war er zurückhaltend*; honoribus aliquem augere *einen durch Ehrenbezeigungen erhöhen*; auctio *Steigerung*, *Versteigerung*. Quoniam autem, quae extollimus, majora reddimus, augere universe est *vergrössern*, *vermehren*. Item olere, olescere est ab עָלָה Alah surrexit, elatus est; alere *aufziehen, gross ziehen*, altus *gross*, *hoch*. Ita inter se conveniunt *κρᾶς*, *gross*, crescere.

His praemissis, liquet, auctorem esse eum, qui aliquid extollit et in lucem profert, *ein Erheber*, *Urheber*, in qua voce adstrictius et pressius lingua nostra Latinam videtur imitata, ut in miser *arm*, עָרֹם Arom, *ἔρημος*, misereri *armen* apud Ulphil. ex quo *bearmen*, *erbearmen*, *erbarmen*. Vid. Adel.

Auctor consilii igitur est, qui consilium, auctor nuntii, qui nuntium in lucem, in publicum profert. Relinquo tamen aliis omnes auctoris et auctoritatis notiones ex hac extollendi notione elicere et ordinare; hoc unum addam, auctorare et auctoramentum ex ea auctoris potestate esse interpretanda, qua auctor est venditor, nam qui rem vendit, is vendendam porrigit atque extollit. Augustus non est, qui auget, *ein Vermehrer*, sicut olim ridicule imperatores semper

Augusti *immer Vermehrer des Reichs* dicebantur; sed est *hoch, erhaben, hehr.* Loca augusta *erhabene Orte*, forma augusta *eine erhabene Gestalt.* Loca edita erant sancta; בָּמָה Bama *Höhe und heiliger Ort*, *βωμός Höhe und Altar*; altare ab alto, ara ab αἴρω, inde et *hehr* i. e. *hoch und heilig*, הַר Har *Berg*. Perperam augustus ducitur ab augurio et augurium ab ave et gerere; hoc enim est ab ave et חוּר Chur *sehen*, idem igitur, quod auspicium. Mactus ex eadem radice, praefixo מ, quod participiis et verborum nominibus praeponi solet, ortum est *hoch, erhaben, hehr.*

Transeo nunc ad vocabula quaedam ad rem publicam Romanorum spectantia.

Consul.

A consulendo, consulere a saliendo volunt ortum, cum plures eadem de re quasi consilientes sententias et consilia conjungant; proinde consul esset *ein Zusammenspringer, ein Mitspringer.* Quam absurdum et ridiculum! ac mirum profecto, hanc originationem a Lex. Forc. editoribus novissimis esse receptam. At syllabae radix Sul in consul et consulere est Hebr. שָׁאַל Schaal, Chald. Schel, Ar. Saal rogavit, petiit, interrogavit; quo quidem verbo Hebraei non secus ac Latini de oraculis et Deo consulendis utuntur. Consul igitur est, qui consulit, senatum scilicet et populum. Exactis enim regibus, cavisse Romani videntur, ne nomina magistratibus darent nimiam potestatem signantia. Consulere primum aliquem *einen um Rath fragen, einen befragen*, deinde inter se consulere *unter sich berathen*, et se ipsum consulere *mit sich selbst zu Rathe gehen.* Consilium ratio et mens consulentis, *Meinung, Plan, Absicht*; nam qui senatum consulebat, suam animi sententiam promebat et proponebat, *er machte einen Vorschlag*; deinde quoniam, qui consulebat senatum, suam sententiam reliquis studebat persuadere, consilium

est *Rath*, consilium dare *Rath geben;* denique est id, quod consulendo efficitur, *das Resultat der Berathung*, *Rathschluss*, *Entschluss;* consilium capere *einen Entschluss fassen.* Consulere alicui *einen berathen*; *gut*, *schlecht berathen*, habita alicujus ratione consulere; in aliquem consulere *gegen Jemand berathen*, *verfahren*, *verordnen.*

C o n c i o

Non a c o n et c i o; substantiva enim a verbis facta numquam, quod sciam, cum prima Praesentis Act. pariter desinunt; suspicio autem videtur formata e suspicando, ut opinio ex opinando. Radix est conc, Hebr. כָּנַס Kanas collegit, coacervavit; eadem radix est in canc|elli, *ganz*, cunc|tus, cunque et aliis. Quid, quod Syri et Chaldaei concionem ipsam appellant Kenscha et Kenscho; quare neminem de vocis origine spero dubitaturum.

C e n s e o, c e n s u s.

Ex vicina radice גָּנַז Ganas, in thesauro reposuit; גִּנְזֵים, Stat. constr. Ginse thesauri, vox simillima nostrae *Zins* et Latinae census. Census igitur est *Schatz*, *Vermögen*, atque sicut nos a *Schatz* fingimus *schätzen*, ita Latini a censu fingunt censere *schätzen.*

C o m i t i u m.

Neque hoc est a c o m et i r e, nam com sive con ante vocales et h mutatur in co, neque causa cernitur, cur haec jungendi lex in hac voce non valeat. Est vero a קָמַץ, קָמַט, Kamaz, Kamath constrinxit, ligavit, cui vicinum חָמָה Chama muro cinxit. Comitium erat locus in foro Romano circa curiam septus, sub Annibalis adventum tecto munitus. קְמָצִים Kemazim Chald. sunt collectiones et comitia, *Versammlungen.* A verbo eodem Hebr. vel vicino גָּמַם

Gamam, Part. Gam est *γάμος Verbindung*; et cum, comes, comitor; comes igitur, qui nobiscum est conjunctus; ita חָבֵר Chaber socius est a חָבַר Chabar conjunxit, indidem nostrum videtur *Gefährte*, antique Gifert, non a *fahren*.

Quirites.

A Curibus, Sabinorum urbe, vel a quirite, hasta, vel a Curetibus hanc vocem repetere ineptum videtur. Quirites dicebantur Romani in urbe versantes; cum vero bellum gerebant, Romani et commilitones. Ex quo colligi potest, Quirites nihil aliud esse, quam cives, urbanos; sed illam appellationem propter vetustatem fuisse honoratiorem et augustiorem, quam cives; quae conjectura linguae Hebr. comparatione mirifice comprobatur. קִיר enim Kir, Quir (pro ק Hebr. Latini habent Q) est paries, murus, locus muro septus, oppidum. Quirinus, si recte video, est adjectivum et supplendum est Deus, *der Gott der Stadt Rom.*

Curia

videtur esse a חוּר chur curare, quod et videre, prospicere, inspicere; nam curare proprie est inspicere, quod ex Adject. curiosus licet conjicere; curiosus enim est *neugierig*, *der gern Alles sehen will.* Curia igitur domus, in qua saluti publicae prospiciebatur, publici consilii templum, Cic. *Rathhaus*, Curio *ein Aufseher*; sella curulis *der Rathsstuhl*, magistratus curules *Rathsobrigkeiten*, quorum erat in senatum venire. In imperio enim urbano ab urbe et curia nomina honoris causa imponi solent, ut in regnis a rege, aula et solio. Ceterum urbs quoque a sepiendo nomen traxit; עָרַב Arab enim proprie est vertere, torquere, cogn. orbis, *Werb|en*, *Wirb|el.* עִיר autem, quod Hebr. est oppidum, congruit cum ἔῤῥειν, errare, *irren*, Yra Suec. *im Kreise herumgehen.*

Magistratus.

Magister, unde magistratus, vox antiquissima et multarum linguarum propria, plerumque tamen sine g scribitur, velut Angl. Master, Suec. Mestare, Fr. Maitre, *Meister*; quare literam g in hac voce non radicis et necessariam esse judico, sed propter similitudinem cum magis atque ut opponeretur ministro, quod vocabulum ex minus genitum videbatur, per opinionis errorem in hanc vocem irrepsisse existimo. Saepe enim evenit, ut vox, cujus origo lateret, ad aliam notiorem formaretur. Exemplo esto vox Germ. *Eichhörnchen*, cujus qui originem ignorat, ex *Eich* et *Horn* ortum esse credit; attamen est a sciuro, nam ex deminutivo sciurulus Galli fecerunt ecureuil et nostri *Ekerle*, ex quo denique *Eichhörnchen*, nam *Ek* putarunt esse *Eich* et erle, *Hörnle*. Item ex Sculdasio natum est *Schuldheiss*, proinde ac si junctum esset ex *Schuld* et *heissen*; *Ebenteuer* ex Eventura. Pariter Halenses locum urbis nominant *Braune Schwarte* pro *Brunos Warte*, et in vicinia nostra vicus est, collegae amicissimi locus natalis, *Braunsrode*, proprie *Brunosrode*. Qua de causa magister non e magis videtur extitisse, sed e מַשְׁטֵר Maschter, part. Conj. Hiph. Chald. format. a verbo שְׁטַר Schatar. Cujus quidem verbi participio שֹׁטֵר utuntur Hebraei pro magistro, praefecto. Sic enim vocantur praefecti populi Israel. in Aegypto, sic seniores septuaginta, sic magistratus in oppidis Palaest., sic denique magistratus majores; Chaldaei vero eos vocant Misteranin, quae vox cum Latina magistratus prope consonat. Verbum שְׁטַר videtur proprie esse ordinare, dirigere, disponere, quod elucet ex finitimo שָׂדַר disposuit, ordinavit, et ex שְׂדֵרָה Stera series, στρατός *Schlachtreihe*, unde nostr. *Streit*. Magister igitur, qui dirigit, instituit, ordinat, ut magister equitum; inde magistratus esse nominatos, nemo infitiabitur, cum oppidorum Palaest. magistratus idem nomen gererent. Eadem radix subest Satr|apae; Apa vero est אַבָּא Abba pater, princeps.

Verum ne quis me, ex Hebraeo nomina, quae ad reipublicae Romanae munera et instituta pertinent, arcessentem, vana et falsa sectari arbitretur, alias, quae ex Hebraea in alias linguas transierunt, dignitatis et auctoritatis appellationes afferam.

